Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2981
Quelle:
Copyright:

Germaniae poteſtatem facit eligendi ſibi Epiſcopum. Initium: *In nomine ſanctae et indiuiduę trinitatis. bl. rex germanię. Si ergo* (erga) *loca ab anterioribus noſtris diuino cultui mancipata. et ſeruos dei in eisdem commanentes. liberalitas noſtra aliquid beneficiorum contulerit* &c. Finis: *Sig. bl. ſereniſſimi regis. in orientali francia. Dato kl. maii. anno imperii eius. V. Actum regino* (Ratisb.) *curta publica. in regione baiouuariorum. Anno ab incarnatione domini. qualicunque indictione quam uis.* Norma, quam praeſcribit, eſt, ut ſi nec inter *Canonicos*, nec inter *Monachos* Dioeceſeos dignus Epiſcopatu reperiatur, eligant *de tota parroechia unum quemlibet clericum natalibus et doctrina pollentem.*

2. absque Inſcriptione, ejusdem *Ludovici* Donatio Curtis ſeu Fiſci regii cuidam Eccleſiae facta ad Clerum ſuſtentandum vel ſuſcipiendos Peregrinos. Initium: *In nomine dei et domini noſtri ihesu chriſti. bl. diuina fauente clementia rex. Quicquid ad loca ſancta impendiorum conferre curauerimus* &c. Finis: *Sig. bl. ſereniſſimi aug. rectoris francorum. ſuueuorum. baioariorum. turingorum. ſaxonum. domitorisque barbararum nationum. Ego uualdo ad uicem. g. archicapellani recognoui. Data kl. aug. anno et indict. ut ſupra.* Atqui nihil ſupra, niſi *Formulam* N. 1. intelligas.

3. absque Inſcriptione, Exemtionis et Iuris eligendi Abbatem Confirmatio cuidam Monaſterio collata. Initium: *In nomine p. et f. et ſ. ſ. N. diuina largiente clementia imperator aug. Notum ſit omnibus fidelibus noſtris. quia uir reuerentiſſimus N. abba coenobii. quod dicitur L. et eſt conſtructum in honore ſancti N. mart.* &c. Coenobium *Lauresham* et Martyrem *Nazarium* intelligi quis putet; ſed non occurrit haec Charta in *Codice Dipl.* ejus Coenobii edit. *Mannhem* T. I. 1768. 4. Memorantur in ea *Freda* et *Parafreda*, de quibus vocabulis *Ducangius* in *Gloſs.* quanquam ibi non niſi *Paravereda* legas. Finis: *ad exemplum cunctorum in omnem uentum diſpergat. kl. ut ſupra.*

4. *Alia.* Conſtitutio Coenobii novi ſecundum regulam ſancti *Benedicti.* Initium: *Hl. diuina ordinante clementia rex. Quia ſicut regni patrum noſtrorum ſucceſſores. ita etiam religionis eorum heredes eſſe cupimus* &c. Iubentur futuri Incolae etiam *operi manuum regulariter* inſiſtere. Finis: *Quae conſtitutio ut per generationum ſucceſſiones inlibata perduret. propria manu eam communire. et anuli noſtri impreſſione libuit roborare. Actum in caſtro. Et rel.*

5. *Alia.* Donatio Praedii et Hobarum cuidam Vaſſallo. Initium: *Ex dei conſtitutione. et antiquorum regum propagatione rex alemanniae. Scire uolo omnes in regno noſtro degentes* &c. Finis: *Actum in rotuuila curta regali. Sig. k. clementiſſimi regis. Data die illa. Ego itaque S. ad uicem V. archicappellani recognoui.*

6.